



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

39. An appellantes à Pontifice ad Concilium Generale actu existens
incidant in censuram Bullæ Cœnæ? Et an consulentes appellare ad
futurum Concilium in censuram Bullæ Cœnæ incidant? Et quid de ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

lutam cap. Ad falsiorum. Censura tamen hujus cap. reservata non est.

RESOL. XXXVIII.

An censura, vel casus reservatus contra facientes falsum instrumentum, comprehendat falsificantes illud? Ex part. 8. tr. 7. & Misc. Refol. 82.

§. 1. Communitur viri docti respondent affirmati-
ve, ut si quis, v.g. in instrumento, lyngrapha,
vel apocha adderet, vel minueret aliquam substantia
veritatis, & ideo asserunt falsificationem, multis mo-
dis contingere posse. Primo, aliquid addendo. Secun-
do, radendo. Tercio, sigillum verum falsis litteris ap-
ponendo. Quarto, fabricando falsas litteras. Vnde in
illis sententia, falsas litteras fabricare, & falsificare,
pro eodem reputatur, & censura lata contra falsi-
ficientes litteras comprehendit etiam falsas fabrican-
tes. Et hanc sententiam pro praxi suaderem.

2. Ego tamen non existimari improbabiler dici,
cum, qui instrumenta, lyngraphas, aut apochas falsifi-
carent aliquid addendo, aut detrahendo, quod vergeret
in tertij præjudicium, non incidere in hanc reserva-
tionem. Et ratio est, quia reservatio loquitur tantum
de conscientibus falsum instrumentum, lyngrapham,
aut apocham; non verò de falsificationibus: in rigore
autem falsificatio scripturæ, videtur distingui à fa-
bricatione falsæ scripturæ. Patet hoc à simili. Nam
in Bulla Cœnæ lata est excommunicatio contra falsi-
ficientes litteras Apostolicas, his verbis. Item excom-
municamus, & anathematizamus omnes falsarios lit-
terarum Apostolicarum, etiam in forma Brevis ac sup-
plicationum, gratiam, vel justitiam concernentium
per Romanum Pontificem, vel sanctæ Romanæ Ec-
clesiæ Vicecancellarium, seu gerentes vicem eorum,
aut de mandato ejusdem Romani Pontificis signata-
rum: necnon falsos fabricantes litteras Apostolicas,
etiam in forma Brevis, &c. Ex quibus verbis patet
duas actiones eo Bullæ capite prohiberi: primam, quæ
est falsare litteras Apostolicas, quæ prohibita etiam
sub anathemate fuerat in c. ad falsiorum, de crimine
falsi; licet ibi non fuerit addita reservatio. Alteram,
quæ est fabricatio falsarum litterarum. Ergo signum
est fabricationem falsarum litterarum ab earundem
falsificatione distingui. Vnde est ut de prior illa
actione loquens Suarez, disp. 21. de censuris, sect. 2. n. 45.
sic dicat: Falsare autem litteras Apostolicas non est
omnino falsas confingere, aut fabricare, hoc enim
spectat ad aliam actionem ibi prohibitam, sed est aut
veras litteras Apostolicas ab earum sincera veritate
immutare, aut vero sigillo, seu signo litterarum Apo-
stolicarum ad falsas litteras consignandas uti. Ergo
idem dicere possumus in nostro casu, videlicet con-
fectionem falsi instrumenti, lyngraphæ, aut apochæ
ab eorundem falsificatione distingui, & sic cum re-
servatio meminerit tantum de conscientibus, non
verò de falsificationibus, eos quidem incidere in casum,
non item hos, ex regula nostra generali, & in mate-
ria penali ab omnibus recepta, quod odia sint re-
stringenda. Et hæc omnia desumpta sunt à Mazu-
chello, tr. de casu reserv. disp. 2. c. 18. q. 1. n. 10.

RESOL. XXXIX.

An appellantes à Pontifice ad Concilium Generale actu
existentes incident in censuram Bullæ Cœnæ?
Tom. V.

Et an consulentes appellare ad futurum Concilium in
censuram Bullæ Cœnæ incident?

Et quid de prestantibus auxilium, aut favorem ad prædi-
ctam appellationem?

Et docetur dictos consulentes in prædicto casu incurere
in excommunicationem reservatam latam à Pio 1. 1.
in Bulla incipiente Execrabilis, & confirmata à
Julio 1. 1.

Sed major difficultas superest, an appellantes ab ordina-
tionibus Pontificiis, quatenus Princeps temporalis est,
excommunicationi Bullæ Cœnæ subjiciantur? Ex par. 9.
tr. 7. & Misc. 2. Refol. 66.

§. 1. Affirmativè respondet Gambartus de excom- Sup. hoc in
munic. Bulla, c. 2. n. 11. & Vgolinus, in Bulla n. 1. seq.

Cœnæ, can. 2. §. 1. vers. Quirò, cum aliis: quia materia
excommunicationis est sacrilegium contra Sedis A-
postolicæ primatum, ut ex Cajetano, in scem. verb.
Excommunicat. cap. 2. §. Sed tam facile sunt contra
primatum Sedis Apostolicæ appellantes ad futurum
generale Concilium, quam qui ad præsens, vel ad
provinciale, sive præsens, sive futurum appellant:
ergo eodem modo per hanc clausulam excommuni-
cantur. Et confirmatur: tum, quia utraque appellatio
est occasio schismatis: tum etiam, quia utraque vide-
tur Concilium constituere supra Papam.

2. Sed mihi magis placet negativa sententia, quam
sustinet Soula in Bulla Cœnæ, cap. 3. disput. 21. num. 2.
Castrus Palaus, tom. 6. disp. 3. punct. 3. n. 6. & alij: quia
lex penalis non excedit proprium casum: sed penali-
s est ista lex, & non loquitur nisi de appellantibus
ad futurum generale Concilium: ergo non est exten-
denda ad appellantes ad generale præsens, vel ad pro-
vinciale, sive præsens, sive futurum.

3. Sed major difficultas est, an appellantes ab ordi-
nationibus pontificiis, quatenus Princeps temporalis
est, excommunicationi Bullæ Cœnæ subjiciantur? Af-
firmativè respondet Bonac. 1. 3. disp. 1. §. 3. punct. 2. n. 3.
quia Pontifex ob injuriam sibi factam in hac appel-
latione excommunicationem profert: at hæc injuria
Pontifici irrogatur per appellationem à quocumque
illius mandato; siquidem illum esse inferiorē, & sub-
ditum Concilio denotat: ergo. Et confirmo: Pontifex
potest excommunicare non solum appellantes à suis
mandatis, vel ordinationibus, quatenus Pontificis
sunt; sed quatenus Principis temporalis. Sicuti ex-
communicat piratas in suo mari pontificio discuti-
rentes: ergo censeri debet ita factum esse; tum quia id
cedit in ejus favorem; tum, quia excommunicatio
fertur contra appellantes absque vlla limitatione.

4. His non obstantibus, negativæ sententiæ adhæ-
ret Reginaldus, tom. 1. lib. 9. n. 263. & Castrus Palaus,
ubi supra, num. 5. quia, esto, appellantes à mandatis
pontificiis in causis temporalibus Pontifici injuriam
irrogent, si ipse in illis causis supremus Princeps sit:
at cum id ex Pontificis munere non inferatur neces-
sario, siquidem potest in illis causis alteri Principi
subjectus esse, ut pote qui sub ea conditione domi-
nium temporale conceffit: non videtur sic appella-
ntes, & injuriam per accidens inferentes, voluisse
comprehendere. Ego verò puto non esse recedendum
ab affirmativa sententia.

5. Vtrum verò consulentes appellare ad futurum
Concilium, in Censuram Bullæ Cœnæ incident? Et
non desunt, qui existimant, dantes consilium ad ap-
pellandum, per hanc clausulam excommunicari. In-
ter quos numerandi sunt Navarr. in Manuali, cap. 27. præterit
n. 58. Toletus, in Sum. lib. 1. c. 10. & Grassius, lib. 4. decis. §. sed &
cap. 18. n. 47. & Vgolinus, hic ad illa verba, Necnon eos,
vers. Excipiuntur, quatenus dicunt, manere excom-
municatos dantes consilium, si appellatio sequatur.

C Probat

Probatur hæc sententia: In hac clausula excommunicantur dantes auxilium, aut favorem: sed consilium favor quidam est; nam, qui consilium præbet non parum juvat ad operandum: ergo consulentes excommunicantur.

6. Sed negativam sententiam docet Suarez, *de censuris, disp. 21. sect. 2. num. 17.* Bonacina, *vbi supra, num. 6.* Reginaldus, *tom. 1. lib. 9. num. 263.* & alij. Et ratio est: quia nudum consilium, neque est auxilium, neque favor; ergo nudus consiliarius non excommunicatur hoc loco. Consequentia est bona: quia in hac clausula solum agitur de præstantibus auxilium, & favorem. Antecedens ex eo constat: quia auxilium, favor, & consilium ad diversa tendunt: nam consilium juvat ab intrinseco dirigendo, & instruendo rationem ejus, cui datur; favor autem, & auxilium solum dirigunt ab extrinseco, suntque, propriè loquendo, actus externi ordinati ad executionem operis. Secundò, quando Summus Pontifex voluit comprehendere dantes consilium, de illis expressam mentionem fecit, ut videre est in clausula 7. 10. 11. & aliis hujus Bullæ: ergo, cum hoc loco consulentium non meminerit, illos excommunicare non intendit. Ego utramque sententiam probabilem esse puto: sed, esto, negativa esset tenenda; scias tamen, dictos consulentes in nostro casu incidere in excommunicationem reservatam, latam à Pio II. in Bulla incipiente, *Execrabilis*, & confirmata à Julio II. in *Extravagant. Suscepit regimini*, ut bene adnotarunt Vivaldus, Sayrus, & Bonacina, *loc. alleg.* Quinimò in dicta Constitutione Iulij II. excommunicantur decernentes, deliberantes, seu vocem dantes, & approbantes appellationem: quod optimè fieri potest, tametsi appellatio non subsequatur, sicuti advertit Bonacina, *punct. 3. num. 9. in fine.*

7. Nota tamen cum Suarez, *vbi supra, num. 16.* & aliis, approbantes appellationem factam, vel præstantes auxilium, aut favorem appellanti post appellationem, hac excommunicatione non ligari: quia verba legis solum appellantes, & auxilium ad appellationem præstantes comprehendunt.

RESOL. XL.

An appellantes à Papa ad Concilium Generale jam congregatum, & actum existens incidant in censuram Bullæ Cænæ?

Et an ita appellantes saltem sine sacrilegi, & male sentiant de Fide?

Et an dans consilium ad supradictam appellationem faciendam, incurrat dictam excommunicationem?

Et notatur talem prohibitionem appellandi comprehendere appellationem à sententia Papæ, in qua motus ira, vel aliqua alia animi perturbatione videatur committere injustitiam. Ex part. 10. tr. 11. & Misc. 1. Resolut. 60.

* Que hic est Ref. antecedens.

§. 1. Contra Vgolinum, & Gambartupam in 9. part. tr. 77. * *resol. 66.* negativæ sententiæ adhæsi; quam postea scio aliquibus displicuisse, sed immeritò; nam ista sententia est communis inter Doctores, & ita præter Soufam Dominicanum, & Castrum Palaum Iesuitam, à me vbi supra adductos, adhærent etiam huic opinioni ex Societate Iesu Filliuc. *tom. 1. tr. 16. c. 3. n. 56.* Reginaldus, *tom. 1. lib. 9. c. 15. sect. 1. n. 263.* Fragosus, de *Repub. tom. 2. lib. 1. disp. 3. §. 1. n. 52.* Idem etiam docet Duardus, in *Bullam Cænæ, lib. 2. Canon. 2. g. 7. concl. 1. n. 10.* Sayrus, de *Censur. l. 3. c. 6. n. 4.* Graffius, in *Decision. tom. 1. lib. 4. cap. 18. num. 60.* Lezana, in *Sum-*

ma *questionum Regul. tom. 3. verb. Bulla Cænæ, num. 11.* Bonacina, *tom. 3. disputat. 1. quest. 3. punct. 1. numer. 4.* Gesualdus, in *Theolog. moral. tom. 2. tractat. 14. cap. 2. num. 7.* & alij penes ipsos. Et nostram sententiam ita mordicus tenet Duardus: *vbi supra num. 12.* ut opinionem Vgolini contrariam, falsam existimet; quod ego non puto.

2. Nec obstat dicere cum dicto Vgolino, quod ratio prohibitionis militat etiam in casu appellationis ad Concilium præsens. Ergo debet currere eadem juris dispositio, ex Textu in *lege Illud, Digest. ad legem Aquil.* & ex his, quæ docet Guido Papa, *decisione 273.* Etenim pluries probavimus, quod in excommunicationibus non fit extensio, quamvis militet eadem ratio: & eo magis, quia ratio prohibitionis non fuit expressa in hoc Canone: propter quod doctrina Panormitani in cap. *Quia in Infidelis, de stat. Monach.* non habet locum in casu nostro, dum ait quod lex debet ampliari, & restringi ad limitates rationis expressæ. Nec dici potest, ut ipsemet Vgolinus existimat, idcirco vi nostri Canonis excommunicari appellantes ad futurum Concilium: quia rarò contingit Concilium hoc actu congregatum esse, vbi quis appellat: sed non ob id excludi, quin appellans ad Concilium jam congregatum, in excommunicationem hanc incidat: argumentum Text. in *lege unica*, juncta Glossa, in verb. *Sponsam, Cod. de rapt. virginis*, quoniam responderetur, quod imò quia rarò contingit Concilium Generale actu congregatum esse, sicut etiam Concilium Provinciale; idcirco appellantes ut supra ad Concilium præsens, aut Provinciale, in excommunicationem non incidunt; quoniam lex adaptatur ad ea, quæ frequentius accidunt, *lege nam, ad ea, Digest. de legibus.* Nec Glossa, in *dicta leg. unica*, probat intentum; sed potius per jura, quæ allegat tacite revocat quod antea dixerat. Dicendum est itaque, Appellantes ad Concilium Generale præsens, esse Sacriligos, & malè sentire de Fide; sed non incurrere in Censuram Bullæ. Itaque ex his apparet, me rectè adhæsisse huic opinioni: & nescio qua ratione de hac aliqui obmurmurati sunt, cum hæc opinio, ut visum est, sit inter Doctores communior.

3. Sed si hic obiter quæras, an dans consilium incurrat in hanc excommunicationem? Posset fortasse affirmativè responderi: nam consilium ipsum videtur esse quidam favor, vel auxilium morale: qui enim rectum consilium præbet, non parum juvat ad bene operandum. In contrarium verò est, quia in rigore sunt influxus distincti, & ad distinctos fines ordinati; consilium enim est ad instructionem mentis: auxilium autem, & favor ad executionem. Vnde in aliis juribus, quando extensio fit ad Consulentes, expressa fit eorum mentio. Et idèò probabilius censio, per hanc clausulam non comprehendi pure consulentes. Voluit enim Pontifex per hanc censuram cohibere potentes, qui efficacius resistunt: de doctrina autem, vel consilio nihil in eo loco statuit. Et ita docent Reginaldus, & Filliucius, *vbi supra cum Suarez, de Censur. disputatione 21. sessione 2. numer. 17.* & aliis.

4. Nota hic etiam obiter, talem prohibitionem appellandi, cum facta sit universaliter, & absque vlla limitatione, comprehendere illam etiam appellationem à sententia Papæ, in qua motus ira, vel aliqua alia animi perturbatione, videtur committere injustitiam. Nam quamvis jure cuique liceat jura, bonaque sua tueri, quia tamen debet quisque eodem naturæ jure præferre bonum animæ suæ aliis bonis, potest